



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CLXXIX. Der Bischof Johann verkauft dem Capitel einen Theil des Havelflusses, am 27. April 1320.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

nus, noster capellanus, dominus Hinricus Wopac, dominus Hardegen nec non dominus Henningus de Vorlande, milites, et quam plures alii fide digni. Datum Brandenburg anno domini M. CCC. XX. V. Kal. Maji.

Nach einer Copie im Copialbuche.

CLXXVIII. Der Bischof Johann verkauft die beiden Dörfer Tielow und Saringen an das Domcapitel, am 27. April 1320.

In nomine domini. Amen. Johannes, dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus, universis etc. salutem in domino sempiternam. Stili cavetur officio, ne vel volubilitate temporum vel quorumlibet hominum malitiosa mutabilitate rationabilium factorum immutati opocuretur. — Hinc est, quod tenore presentium publice recognoscimus protestantes, quod nos pro solvendis debitis per predecessorum nostrum, dominum Fredericum, episcopum Brandenburgensem et per nos contractis pro necessitate et evidenti utilitate ecclesie nostre, vendidimus dilecto nostro Johanni preposito Brandenburgensis ecclesie ad manus capituli et conventus sui duas villas Slavicas, videlicet Sarringe sitam prope novam civitatem Brandenburg et Thikowe, sitam juxta Pritzerwe ad mensam episcopalem nostram pertinentes, cum omnibus juribus et pertinentiis suis pro ducentis marcis Stendaliensis argenti, nobis integraliter jam solutis in pecunia numerata, ad satisfactionem et solutionem hujusmodi debitorum, mittentes eundem prepositum nomine conventus et capituli sui in possessionem corporalem dictarum villarum, et in hiis scriptis omnia jura in ipsum transferentes, que nos hactenus habuimus in eisdem villis et que nostri predecessores a multis retroactis temporibus habuerunt. Dimisimus etiam domino preposito et capitulo suo seu suis successoribus sollempni stipulatione, quod nichil debeamus petere seu exigere de predictis villis in futurum. Testes autem qui presentes fuerunt huic venditioni et donationi sunt: dominus Johannes Gruwelhot, canonicus ecclesie Magdeburg., dominus Cristianus, plebanus nove civitatis Brandenburgensis, Thidericus de Dalchowe, canonici nostre ecclesie Brandenburgensis nec non dominus Goswinus, noster capellanus, magister Johannes de Barby, clerici, dominus Hinricus Wopach, dominus Herdeghen de Bardeleve, nec non dominus Henningus de Vorlande, milites, et quam plures alii fide digni. Ut igitur nostra venditio etc. Datum Brandenburg, anno domini millesimo trecentesimo vigesimo, quinto kalendas Maji.

Nach dem Originale

CLXXIX. Der Bischof Johann verkauft dem Capitel einen Theil des Havelflusses, am 27. April 1320.

Nos Johannes, dei gratia episcopus ecclesie Brandenburgensis, universis et singulis facimus notum per hec scripta, quod propter predecessorum nostrorum gravia debitorum onera, provida deliberatione prehabita, vendidimus et tradidimus preposito capitulo et ecclesie nostre prefate superio-

rem Obulam ab Obula que dicitur Cotzinre Havele et loco, qui dicitur Bifebusch versus Cotzin supra curiam Trebegow usque ad inferiorem Obulam ad locum, qui dicitur Vurstede, cum proprietate, hereditate, limitationibus, superiori et inferiori iudicio, tractibus, gurgulis, piscationibus et omnibus eorum pertinentiis libere, quod nullus cum Puvert, Alrep, Lamme, Hevecorven, Rufestellen, Clevenetten, Czocheren nec aliquo genere seu officio piscationis possit nec audeat piscare, nisi de predictorum prepositi et capituli scientia et voluntate speciali, excepta parva piscatura, que dicitur Floken, que sola in quibusdam locis prefate Obule poterit exerceri, ac cum omni libertate ac proprietate perpetuis temporibus possidendam pro centum et viginti marcis argenti Brandenburgensis nobis jam libratim et traditis, renunciantes prefatis Obule proprietati, hereditati ac omnibus et singulis, que nobis et nostris successoribus in premissis competere possint quomodolibet in futurum. Ut autem hec venditio etc. Datum Brandenburg, anno domini M. CCC. XX. V Kal. Maji. Testes hujus rei sunt: Dominus Johannes Gruvelhut, canonicus majoris ecclesie Magdeburg., Gotzvinus, noster capellanus, Johannes de Barbi, clerici, dominus Hinricus Wopack, Hardegen de Bardeleve et Henningus de Vorlande milites et alii quam plures fide digni.

Nach einer Copie im ältern Copiario.

Die Urkunde ist zwar in dem Copialbuche vom Jahre 1321 datirt, da indeß der Tag der Ausstellung und die Zeugen dieselben sind, wie in den vorherigen Urkunden, so glauben wir, daß sie ebenfalls in das Jahr 1320 gehört.

CLXXX. Der Herzog Rudolph versichert dem Bischofe von Brandenburg noch besonders, daß er nur allein im Bunde mit ihm handeln wolle, am 14. Nov. 1320.

Nos Rudolphus, dei gratia dux Saxonie etc. venerabili in Christo patri ac domino, Johanni Brandenburgensis ecclesie episcopo, Johanni, ejusdem ecclesie preposito ac aliis prepositis et clericis ejusdem diocesis Brandenburgensis pro eo, quod iustis et legitimis appellationibus nostris et sententiis et aliis processibus iudicum pro venerabili in Christo patre ac domino Borchardo, sancte Magdeburg. ecclesie archiepiscopo a sede apostolica datorum per nos et procuratores nostros ad quoscunque iudices superiores, interjectis quoad iustitiam astant, promissimus et promittimus per presentes, nos nullam cum predicto archiepiscopo velle habere ordinationem seu compositionem, nisi ipsi, videlicet prefatus dominus episcopus, prepositi ac ceteri clerici totius Brandenburgensis diocesis predictae ordinationi vel compositioni sint totaliter interclusi, et quod stabimus appellationi dicti domini Johannis Brandenburgensis episcopi, a predicto domino Borchardo, sancte Magdeburgensis ecclesie archiepiscopo, ad sedem apostolicam interjecte. Expensas etiam factas et faciendas in causa sue appellationis sicut in nostris causis, pecunia nostra propria perfolvere, dilectus frater noster, dux Wentzlaus, et filii nostri predictam ordinationem integre observabunt. Datum Brandenburg, anno domini M. CCC. XX. feria VI. post diem beati Martini episcopi et confessoris.

Nach einer Copie im Copialbuche.